

eadem quę priores aut eundem in locum scri-
pserunt, aut alibi tractarunt. Cumq; de indu-
stria abstinere velint posteriores priorum ver-
bis: illiq; plerunq; præoccupauerint cõmo-
dissimas quasque loquendi formas, quæ plus
redolerent spiritus, plusque afficerent: hisce
necesse fuerit vti minùs commodis: & quæ
inanem tantùm redoleant ingenij ostentatio-
nem: nullumq; in animis aculeum relinquāt.

*Veteres libri
novis melio-
res.*

Qui iudicio falluntur, videnturq; sibi non
inutilem nauare operam: cùm eos commone-
feceris, est quod etiam ignoscas.

Sed quos ad scribendum ostentatio impel-
lit & ambitio, eos ego inter præcipuas Eccle-
siæ pestes numerare non dubitauerim: quip-
pe qui non alij quàm Satanæ suam scelestissimè
locent operam. Sed iam ad reliqua pergamus.



SATANÆ STRATA-

GEMATVM

LIBER II.

DE inutilibus quæstionibus qua ra-
tione ab vtilibus discerni possent:
& vt vitare eas oporteret, superiore
Libro dictum est. Nunc si res quæ
in controuersiam vocatur, cuiue cõtradicitur,
haud leuis constiterit momenti esse: quid fa-
cere pium hominem deceat: sequitur vt di-

*Primi & se-
cundi libri
scopus.*